ARTIS RHETORICES RUDIMENTA
BREVIORI METHODO

PRO

REGII CLERI UNIVERSI TYRONIBUS EXARATA, ET CONTRACTA,

ET PROPRIO MARTE ELABORATA

A

D. FRANCISCO XAVERIO MIRONE

CAPPELLANO INSIGNITO REGALIS CAPPELLÆ

PALATINÆ NEAPOLIS

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA OBSERVATORIS MEDICI

ANNO DOMINI MDCCCXXXIX

Excellentissimo ac Reverendissimo Domino
Gabrieli Mariæ Gravina Ordinis Sancti Benedicti
Congregationis Cassinensis
Ex principibus montisvagi, ducibus
Sancti Michaelis magnatibus Hispaniarum primæ classis: equiti
R. O. S. Ianuarii, et magno priori Torquato, magnæ crucis
R. O. Constantiniani, equiti magnæ crucis Francisci I. Caroli III.,
et Hetruriensis ordinis sub titulo S. Ioseph Archiepiscopo
Melitenensi, Serenissimi Regis Ferdinandi II. in regno
utriusque Siciliæ Cappellano Majori, ordinario
Prælato Aulico. etc.
FRANCISCUS XAVERIUS MIRONE S. D.

Consilium inivi, Præsul amplissime, contracta methodo artis Rhetoricæ elementa tradere, quibus adolescentes, qui auditorium meum frequentant, uterentur. Nec enim videtur probandus ille mos, qui jamdiu obtinet, artium, et scientiarum elementa scripto excipienda tyronibus tradere. Quæ scripto exhibentur solent esse contractiora, nec multum expolita; coguntur enim professores ad temporis rationem accommodare; non enim omnes adolescentes recte scribere, quæ ab ore dictantis excipiunt. Hæc autem elementa ita adornare, quatenus poteram, studui, ut brevi verborum compendio bene dicendi artem exhiberent.

Hinc in hoc brevi compendio habentur prolegomena in primis hujus artis, et præcepta sic disposita: in libro primo agitur quid invenire, et excogitare potest orator: in altero quid disponendum, et distribuendum erit: in tertio quomodo exornandum erit verbis, atque sententiis opti-

mis, selectisque: demum in quarto quomodo exponere valeat orator inventa, et disposita, et exornata recitare.

Cum probe noris, Excellentissime, ac Reverendissime Præsul, quam arduum, ac salebrosum sit eloquentiæ studium; quo fit, ut in tanta institutionum varietate dum versantur, qui ad hanc bene dicendi artem perdiscendam se se contulerunt, vel in ipso hujus studii vestibulo animum despondentes, singula strenue persequi, atque rimare non audeant, vel ubi ad stadii calcem pervenerint, tanta artis indigesta mole gravati, atque enecti, eo minus vere docti quo plura didicisse sperabant, quasi inopes copia facti, si quid de figura aliqua rogati ex tempore respondere cogantur, hæreant ineptissime, quo se vertant nescientes.

Hinc brevi commentario omnia bene dicendi artis principia ita comprehendere existimavi, ut ea

percipere animi dociles, ac utique tenere possent discipuli in perpetuum.

Hujusmodi enim Commentarii adminiculo tyronibus quidem iter munitur, quo facilius ad uberiores hujus artis fontes contendant, deque iis plenius ebibant, doctis vero, et eruditis id certe commodi comparatur, quod et quæ olim didicerunt nullo negotio in memoriam reducant, et quæ vel parum clare, vel minus distincte sciebant, in ordinem digerentes, et ad sua principia revocantes, expeditius, sicubi detur locus, iis utantur.

Ut igitur voluntatem aliquorum obsecundarem, hanc elucubratam Synopsin, Præsul Ornatissime, bono Ecclesiæ nate, præsidium, et dulce decus florentis juventutis, in lucem editam commendavi posteritati, ac reverenter manus deosculor.

In veri obsequii argumentum
Franciscus Xaverius Mirone.

PROLEGOMENA

ARTIS RHETORICES

De Natura Rhetorices.

1. Q. Quid est Rhetorica ?
R. Rhetorica est ars bene dicendi apposite ad persuadendum.

2. Q. Uude nomen traxit Rhetorica ?
R. Rhetorica a verbo græco ρεω dico descendit, et non a ρεω fluo, aliter diceretur ars fluendi, et non ars dicendi.

3. Q. Quare dicitur ars ?
R. Quia continetur præceptis.

4. Q. Quare dicitur ars bene dicendi ?
R. Quia docet quomodo optimis sententiis, verbisque lectissimis dici possit.

5. Q. Undenam orta est Rhetorica ?
R. Rhetorica orta est ex animadversione naturæ.
Cum enim aliqui bene, alii vero male loquerentur, notatæ sunt causæ hujus discriminis, et inde sumpta præcepta bene dicendi. Hinc Tullius: *Notatio naturæ, et animadversio peperit artem.*

6. Q. Quinam est finis Rhetoricæ ?
R. Finis Rhetoricæ est persuadere.

7. Q. Quodnam discrimen interest inter Rhetorem, et oratorem ?
R. Maximum discrimen intercedit inter unum, et alium. Nam Rhetor est ille, qui callet præcepta. Orator vero est ille, qui apte dicit ad persuadendum.

8. Q. Quomodo orator suadet ?
R. Orator suadet docendo, delectando, et movendo.

9. Q. Quomodo Orator suadet docendo, delectando, et movendo ?
R. Docet orator argumentis, et argumentatione, delectat ornato stylo, movet affectibus, et amplificatione.

10. Q Quænam est materia Rhetoricæ ?

R. Est quælibet quæstio, sive quidquid omnino est in universa rerum natura: quare Tullius ait: *bene dicendi ars non habet definitam aliquam regionem cujus terminis septa teneatur.*

11. Q. Quotuplex est quæstio?
R. Quæstio duplex est, infinita, sive thesis, quæ nullis alligatur circumstantiis, et finita, sive hypothesis, quæ circumstantiis restringitur.

12. Q. Quot sunt universim genera quæstionum, sive causarum, in quibus versari potest orator?
R. Tria: Genus judiciale, genus deliberativum, et genus exornativum, seu demonstrativum, quod a Græcis vocatur Epidicticum.

13. Q. Quid spectatur in genere judiciali?
R. Accusatio, et defensio.

14. Q. Quid spectatur in genere deliberativo?
R. Suasio, et dissuasio.

15. Q. Quid in exornativo?
R. Laus, et vituperium. Unde generis judicialis finis est æquitas: Deliberativi utilitas: demonstrativi honestas. Iudiciale genus versatur circa tempus præteritum: deliberativum circa tempus futurum: Demonstrativum vero circa præteritum simul et præsens.

16. Q. Estne utilis Rhetorica?
R. Ea est Eloquentia, ut populi motus, judicum Religio, Senatus gravitas, unius oratione convertatur, et tanta est Rhetoricæ utilitas, ut quod nulla vi expugnari potest, nempe voluntas, illud doceat vincere, ac superare. Hinc Cicero: *Nihil*, inquit, *præstabilius videtur quam posse dicendo . . . . . voluntatem impellere quo velis, unde autem velis deducere*. Neque vero officit, quod interdum eloquentiæ vi excitata bella, violata fædera, eversæ urbes, atque alia exarsisse mala dicantur. Ita enim rerum universarum ratio comparata est, ut si iis temere utaris, in perniciem evadant. Quare sapienter Ovidius lib. II. Tristium monet.

» *Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta*
» *Comparat, audaces instruit igne manus.*

Vide quam eleganter Laurentius Pignotti cecinit

Apologum, cui titulus est venter, et reliqua humani corporis membra, ex Titi Livii lib. II. depromptum; auctore Menenio Agrippa.

Le membra un tempo fa del corpo umano
Fecer contro lo stomaco congiura:
Noi lavoriamo, e lavoriamo invano,
Dicean, perchè costui tutto ci fura;
E la fatica a noi soltanto resta:
Giacchè, qualunque cura
Si dia la mano, il piè, l' occhio, la testa;
Va ogn' opra a terminare
Un pò di vitto al fin nel procacciare.
Tutto insomma si perde, e si profonda
Del ventre dentro alla vorago immonda:
Ei non fa nulla; stimiamo ancor nui
Oziosi come lui.
A un perpetuo digiuno il ventre allora
Fu condannato, ma di lor follìa
Si avvidero le membra in poco d' ora:
Tutto il corpo languìa;
Il piè dal suol levarsi non potea;
La man non si reggea;
Errando gli occhi gian languidi, e smorti:
Allor il ventre, che apparìa tanto oziöso
Pur troppo era operoso,
E, ministrando il nutritivo umore
A loro stessi poi per vie segrete
Da per tutto infondea vita, e vigore.
» *Popoli m' intendete?*
» *Questo ventre è il Senato;*
» *E voi le membra ribellanti siete*
» *La plebe intese, e tutto fu calmato.*
Ergo Rhetorica est utillima.

17. Q. Quot, et quibus subsidiis eloquentia comparatur?
R. Quatuor subsidiis eloquentiam comparamus. Natura, Arte, Imitatione, et Exercitatione.

18. Q. Quid confert natura?
R. Natura confert ex parte animi, motus ad excogitandum acutos, nempe ingenium, ad memoriam firmos, ex parte corporis canoram vocem, latera firma,

solutam linguam, amplamque totius corporis conformationem.

19. Q. Quid efficit ars?

R. Ars expolit, supplet, et castigat naturam; nempe si quæ adsunt utilia excolit, si quæ desunt supplet, si quæ redundant, castigat.

20. Q. Quid prodest Imitatio?

R. Imitatio diligenter persequitur ea, quæ in optimis auctoribus summa sunt, atque ita porro efficit, ut orator illis in dicendo similis evadat.

21. Q. Quid juvat Exercitatio?

R. Exercitatio conservat, et auget, quæ ars excoluit, aut emendavit scriptione, actione, et memoria.

22. Q. Quot sunt Imitationis Leges.

R. Tres sunt Imitationis Leges. Imitaberis optimos; imitaberis optimorum optima, imitaberis optima imitandi ratione.

23. Q. Quot sunt imitationis rationes?

R. Imitandi modi sunt sex. I. si sententiam retineas, non verba: II. si verba, non sententias: III. si figuras transitionis, ductum orationis imiteris: IV. si exemplar contrahas, vel dilates: V. si carmina in prorsam orationem transferas, vel contra: VI. si ab altera in alteram linguam.

24. Q. Quot sunt partes Rhetoricæ?

R. Quatuor, nempe Inventio, Dispositio, Elocutio, et Collocatio, sive Pronunciatio. I. Inventio, quæ docet quomodo argumenta, quæ tractanda sunt, invenire, et excogitare possimus. II. Dispositio, quæ docet quomodo inventa disponamus, et in ordinem distribuamus. III. Elocutio, quæ docet quomodo inventa, et disposita verbis, et sententiis idoneis exornemus. IV. Collocatio, sive, Pronunciatio, quæ docet quomodo exornata pronunciare possimus, et scripta memoriæ mandare, et apta vocis, ac gestuum conformatione recitare.

25. Q. Quodnam est officium oratoris?

R. Officium oratoris est dicere apposite ad persuadendum.

Prolegomenum Finis

LAUS DEO.

DE ARTE RHETORICA

LIBER PRIMUS

De Inventione.

1. Q. Quid est inventio?
R. Inventio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant. Sic a Tullio recte definitur.

CAPUT I.

De argumentis in genere.

2. Q. Quid est argumentum?
R. Argumentum apud Rhetores non est aliud, nisi ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, et quæ, quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat. Ita Fabius.
3. Q. Undenam suum nomen traxit argumentum?
R. Argumentum dictum est a verbo latino arguo, quod sibi vult ostendere, et patefacere, sic Agrætius dixit: unde illa dicuntur argumenta, quæ causam causæ ostendunt. Ita Virgilius: *Degeneres animos timor arguit.*
4. Q. Quæ res pro certis habendæ sint?
R. I. Illæ res pro certis habendæ sint, quas sensibus percipimus; II. quas unanimi consensu tenemus, ut quæ pertinent ad Dei cultum, et pietatem erga parentes; III. quas lex præscribit, et consuetudine, ac moribus confirmat; IV. denique omne id, quod convenit inter partes.
5. Q. Quænam argumenta credibilia putanda sint?
R. Sunt illa in primis, quæ fere semper eveniunt in natura, e. g. liberos a parentibus amari; II. quæ sæpius accidere solent, ut sanum, et viribus pollentem hominem ad crastinum perventurum; III. quæ interdum contingunt, ut furtum ab eo, qui domi fuit, factum esse.
6. Q. Quænam argumenta dicuntur insita?

R. Quae ab oratore excogitantur, et ex re ipsa petuntur.

7. Q. Quænam dicuntur remota?
R. Remota sunt illa, quæ extra rem petuntur, et extrinsecus oratori offeruntur, a quo tractanda sunt.

8. Q. Quotuplicis generis sunt argumenta insita?
R. Triplicis generis: I. ex parte rei, quæ valent ad docendum: II. ex parte oratoris, quæ valent ad conciliandum: III. ex parte auditoris, quæ pertinent ad concitandum.

CAPUT II.

De argumentis ἀποδεικτικοῖς, *sive demonstrativis, quæ etiam dicuntur sermonis insiti, græce* τοῦ λόγου.

9. Q. Undenam argumenta sumuntur?
R. Argumenta sumuntur ex locis oratoriis.

10. Q. Quænam sunt argumentorum sedes?
R. Sunt loci oratorii.

11. Q. Quotuplicis generis sunt loci oratorii?
R. Duplicis generis, alii intrinseci, seu insiti, alii extrinseci, seu remoti.

12. Q. Quot sunt loci, sive sedes argumentorum ἀποδεικτικῶν?
R. Sunt sexdecim, et sunt: I. Definitio: II. Partium enumeratio: III. Notatio: IV. Conjugata: V. Genus: VI. Formæ: VII. Similia: VIII. Dissimilia: IX. Contraria: X. Adjuncta: XI. Antecedentia: XII. Consequentia: XIII. Repugnantia: XIV. Causæ: XV. Effecta: XVI. Comparata.

13. Q. Quid est Definitio?
R. Definitio est oratio, quæ, quid res sit, explicat.

14. Q. Quot partibus constat Definitio?
R. Definitio duas complectitur partes, nempe genus, quod convenit rei definitæ, et cum aliis commune, et peculiare videtur, et differentiam, quæ convenit soli rei definitæ, et non aliis: ut, homo est *animal rationale*.

15. Q. Quid est descriptio?

R. Est explanatio diffusa, et prolixa, cum clare, aperte, manifeste, et abunde, præter essentiam rei, causæ, effecta, proprietates enumerantur; ut magis clarior innotescat; quod apud oratores proprium, atque consuetum est fuse, et copiose dicere.

16. Q. Quodnam discrimen interest inter definitionem, et descriptionem?

R. Maximum discrimen interest inter unam, et aliam; prima stricte, et breviter explicat rei essentiam, et altera copiose, et diffuse tractat.

17. Q. Quid sibi velit partium enumeratio?

R. Partium enumeratio est totius in partes distributio: et enumerando, et recensendo partes efficitur totum. Ex Tullio colligitur Antonium a nemine consulem reputandum. *Negat hoc D. Brutus Imperator, Consul designatus, natus reipub. civis, negat Gallia, negat cuncta Italia, negat Senatus, negatis vos. Quis illum igitur consulem, nisi latrones, putant?*

18. Q. Quid est Notatio?

R. Notatio nominis est locus Rhetoricæ, qui verborum originem, et significationem inquirit: unde ex vi nominis argumenta deducantur: locus iste a Græcis Ethymologia nuncupatur.

19. Q. Habesne aliquod exemplum?

R. Præsto est: Senatus a senibus dictus est; Consul a consulendo patriæ; victima a victoria; hostia ab hostibus; hinc illud Poetæ: « hostibus a victis hostia nomen habet. Ideirco jure meritoque Tullius ait: « Pisonem, et Gabinum non esse consu« les, quod patriæ non consuluerunt, sed potius « eam vexaruut, atque afflixerunt. »

20. Q. Quid sunt Conjugata?

R. Sunt ea, quæ ab uno orta verbo, vel vocabulo varie conjugantur, et mutantur aliqua inflexione temporis, numeri, et personæ.

21. Q. Affer exemplum?

R. Sapiens, sapientia, sapienter; imperium, imperator, imperare: peccatum peccare; bonum certamen certare.

22. Q. Quid est Genus?

R. Genus est locus Rhetoricus, qui communis est multis, et multa sub se complectitur; ut virtus est genus, quod sub se continet justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam etc.

23. Q. Quid est species, seu Forma?

R. Species sunt illæ, quæ sub genere continentur, seu alia peculiaris; et propria res est, quæ tractatur specifice, et singulari modo ab oratore; ut virtus est genus, temperantia est species.

24. Q. Quid est similitudo?

R. Est rerum disparium collocatio, quæ conveniunt cum aliqua re.

25. Q. Adestne aliquod exemplum?

R. « Si feræ partus suos diligunt, qua nos in li« beros nostros indulgentia esse debemus »? Sicut ager cultura eget, sic et homo.

26. Q. Quid est dissimilitudo?

R. Est rerum disparium inconvenientia, quæ ex re dissimili dissimile colligit, et minime similitudinem in se habet.

27. Q. Dic exemplum?

R. Tullius de Oratore: « Si barbarorum est in diem « vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.

28. Q. Quid sunt contraria?

R. Sunt ea, quæ in eodem subjecto esse non possunt, vel, si sint, pugnant.

29. Q. Quotuplicis generis sunt contraria?

R. Quatuor, nempe Adversa, Relata, Privantia, et Contradicentia.

30. Q. Quænam dicuntur Adversa?

R. Sunt, quæ licet ad unum, idemque spectent genus, inter se tamen immane quantum discrepant: En exemplum: sapientia, et stultitia, virtus, et vitium; unde Cicero: « si fugimus stultitiam, sequa« mur sapientiam, si malitiam fugimus, bonitatem sequamur. »

31. Q. Quid sunt Relata?

R. Sunt ea, quæ se invicem ita respectant, ut al-

terum sine altero esse non possit. Exempla sunt: pater, et filius; dux, et miles; magister, et discipulus; dominus, et servus; qui dat, et qui accipit.

32. Q. Quid Privantia?

R. Sunt habitus, et ejus privatio, seu absentia; ut mors, tenebræ, inscitia, paupertas, et cæcitas.

33. Q. Quid Contradicentia?

R. Sunt, quæ sibi maxime omnium adversantur, cum alterum affirmat, alterum negat: ut Milo insidiatus est Clodio, Milo non est insidiatus Clodio.

34. Q. Quid sunt Adjuncta, sive circumstantiæ?

R. Sunt ea, quæ cum re, de qua agitur, non necessario, sed probabiliter; conjuncta sunt, quæ vel personis, vel rebus accidentia considerantur.

35. Q. Quot sunt adjunctorum genera?

R. Tria recensentur: I. adjuncta rei, ut locus, tempus; II. adjuncta animi, ut vitia, virtutes: III. adjuncta corporis, ut pulcritudo, deformitas, robur, vestis, etc: uno verbo, omnia, quæ rem circumstant, sive præcedant, sive comitantur, sive consequentur, appellantur adjuncta, seu res circumstantes.

36. Q. Quid sunt Antecedentia?

R. Sunt ea, quibus positis, necesse est alia consequi, ut ortus est Sol, ergo dies est, tu natus es homo, ergo procul dubio morieris: ille gravissimi sceleris reus est, ergo gravissime plectitur a justo judice; ignis conjicitur aridæ materiæ, ergo incendium sequitur: ventus luctat in mari cum Aquilonibus, ergo fluctus excitantur.

37. Q. Quid sunt Consequentia?

R. Sunt ea, quæ rem necessario consequuntur, ut qui cicatricem gerit, ergo vulnus accepit; sic etiam argumentatur a consequentia; est copia fructuum, ergo et copia florum necessario fuit, nam flores præcedunt fructibus.

38. Q. Quid sunt Repugnantia?

R. Sunt ea, quæ non e regione quidem, ut contraria, sibi opposita, at aliquo pacto tamen discrepantia æqueunt cohærere, ut amare, et lædere, odisse, et laudare.

39. Q. Quid sunt Causæ?
R. Sunt ea, unde aliqua proficiscuntur, sive sunt ea, quorum vi aliqua sunt: ut vulnus est causa mortis.

40. Q. Quotuplex est causa?
R. Quatuor numerantur causæ; I. causa efficiens; II. materialis: III. formalis: IV et finalis.

41. Q. Quid causa efficiens?
R. Est, quæ aliquid efficit, sive producit.

42. Q. Quid materialis?
R. Causa materialis est materia ipsa ex qua res conflatur.

43. Q. Quid formalis?
R. Est, quæ speciem, formamque rei tribuit.

44. Q. Quid finalis?
R. Est, propter quam aliquid fit; ut aliena salus, cujus gratia suscipitur labor.

45. Q. Quid effectus?
R. Sunt illi, qui ex causa oriuntur.

46. Q. Quid comparatio?
R. Est oratio, qua duo, vel plura in tertio aliquo conferuntur; quod illis commune est: ut Catoni licuit sequi bellum civile, igitur et Ciceroni licebit, commune est enim ambobus sequi bellum civile.

47. Q. Quot sunt comparationum genera?
R. Tria: primum est a majori ad minus; secundum a minori ad majus, tertium est a pari.

48. Q. Quid a majori ad minus?
R. A majori est cum contendimus, ut id, quod valet in majori, valeat etiam in minori: ut ait Cicero: « etenim si summi et clarissimi viri cives, « non modo se non contaminarunt, sed etiam ho- « nestarunt; certe mihi verendum non erat, ne quid « hoc parricida civium interfecto invidiæ mihi in « posteritatem redundaret. »

49. Q. Quid a minori ad majus?
R. A minori est cum contendimus, ut quod valet in minori, valet etiam in majori: ut si plebeji virtutem amant, quanto magis summi viri: vel si dicas cum catechismo Romano: « Si summo viro,

« aliquid affirmanti, arrogantis est fidem non ha-
« bere, quanto magis Deo revelante. »

50. Q. Quid a pari?
R. Est cum contendimus id, quod valet in una re, valere etiam debere in alia pari; ut, « si mi-« lites Rom. invicti bella gesserunt, eo magis vos « milites strenui; » vel cum Tullio; *si conjuratio patefacta per me est, tam patet Hortentio, quam mihi.*

CAPUT III.

De Locis extrinsecis, seu remotis.

51. Q. Quinam sunt loci extrinseci?
R. Loci extrinseci, seu remoti, seu assumpti sunt, qui extra rem petuntur, et nullo modo pendent ab arte, ingenioque oratoris, ut excogitentur.

52. Q. Quot sunt loci extrinseci?
R. Sex assignantur a Quintiliano, et sunt:

I. Leges, quæ sunt stabilia superiorum præscripta ad commune bonum.
II. Fama, quæ est vulgi sermo nullo auctore.
III. Tabulæ, quæ sunt omnia testimonia scripto ornata.
IV. Iusjurandum, quod est affirmatio, vel negatio rei alicujus ritu religioso, et D. O. M. in testem appellato.
V. Tormenta, quæ sunt cruciatus ad veritatem a reis extorquendam.
VI. Testes, qui de re testimonia ferunt.

CAPUT IV.

De amplificatione.

53. Quid est Amplificatio?
R. Amplificatio est gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. Sic a Tullio recte definitur.

54. Q. Faveas quæso explicare definitionem?
R. Præsto est: gravissima illa affirmatio, de qua hic agitur, nihil aliud est, quam vehementius quoddam copiosiusque dicendi genus, quo rei vel di-

gnitatem, et amplitudinem, vel indignitatem et atrocitatem, pondere verborum et enumeratione circumstantiarum ita demonstramus, ut non animos auresque prætervolet, ut ferme fit cum res leviter ac strictim attinguntur, sed ut feriat animos, permoveat affectus, et audientium memoriæ penitus insideat.

55. Q. Habesne aliquod illustre exemplum amplificationis hujusmodi?

R. Habes luculentissimum in atrocissima illa Didonis adversus Æneam abeuntem querela. Poterat Dido simpliciter, et nude Æneam appellare durum, inhumanum, ferreum, sed querimoniam illam sic amplificat Virgilius Æneidos lib. IV.

Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:
Nec tibi Diva Parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Sic etiam libro 2.° poterat Æneas exiliter et jejune dicere se amissam conjugem Creusam clamoribus maximis per noctis tenebras appellasse: verum rem ita verbis exagerat:

Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, mæstusque Creusam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.

56. Q. Quotuplex est amplificatio?

R. Duplex: alia est verborum, alia rerum; seu, quod idem est, alia fit rebus ac sententiis; alia verbis tantum.

§. I.

De amplificatione rerum.

57. Q. Quot modis fit amplificatio rerum?

R. Octo præcipuis: 1. fit per congeriem definitionum, seu per definitiones conglobatas: 2. per congeriem adjunctorum: 3. per congeriem, seu per

enumerationem partium: 4. per congeriem causarum, et effectuum: 5. per congeriem consequentium: 6. per congeriem similium, comparationum, et exemplorum: 7. per contrariorum, dissimilium, et in se pugnantium conflictionem: 8. Denique per incrementum.

§. II.

De amplificatione per congeriem definitionum?

58. Q. Quid est amplificatio per congeriem definitionum?

R. Est ea, in qua variæ ejusdem rei definitiones congeruntur, et quasi coacervantur: ut cum ait Cicero lib. II. de Oratore: *Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.* Sic etiam idem pro Milone: *curia templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, portus omnium gentium, sedes ab universo populo Romano concessa uni ordini.*

§. III.

De amplificatione per congeriem adjunctorum.

59. Q. Quid est amplificatio per congeriem adjunctorum.

R. Est ea, quæ ducitur ab omnibus seu rerum, seu personarum adjunctis, ac circumstantiis simul coacervatis. Ita Virgilius Iulii Cæsaris interitum sub finem lib. I. Georgicorum lucubriter, et tragice admodum lamentatur, coacervando funestissima prodigia, monstraque, quæ vel antecessere, vel mox subsecuta sunt.

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferragine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem,
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens; et simulacra modis pallentia miris

Visa sub obscurum noctis, pecudesque locutæ:
Infandum; sistunt amnes, terræque dehiscunt,
Et mœstum illacrymat templis ebur, æraque sudant.

§. IV.

De amplificatione per congeriem, seu per enumerationem partium.

60. Q. Quid est amplificatio ab enumeratione partium?

R. Est illa, quæ fit, dum totum aliquod in suas partes distribuitur, seu dum rei alicujus partes vel omnes, vel præcipuæ certe quidem, singillatim enumerantur. Ita Ovidius lib. 2. Metamorph. dilatat sententiam hanc:

Rex Midas omnia quæcumque tangit, in aurum convertit.

Lætus abit, gaudetque malo Berecynthius heros,
Pollicitique fidem tangendo singula tentat
Vixque sibi credens, non alta fronde virentem
Illice detraxit virgam; virga aurea facta est;
Tollit humo saxum; saxum quoque palluit auro:
Contigit et glebam; contactu gleba potenti
Massa fit: arentes Cereris decerpsit aristas;
Aurea messis erat. Demptum tenet arbore pomum;
Hesperidas donasse putes, si postibus altis
Admovit digitos, postes radiare videntur:
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unde fluens palmis Danaen eludere possit.

§. V.

De amplificatione per congeriem causarum, et effectuum.

61. Q. Quid est amplificatio per congeriem causarum, et effectuum?

R. Est ea, in qua multæ simul unius rei causæ, et effectus multi conglobantur; ut si diceres cum celebri artis magistro: *quæreris multis modis vexatam esse provinciam, sed ad causas calamitatis attende. Vigebat in ea ambitus, luxuria dominabatur; segnes erant magistratus, populus ipse molli otiosaque segnitie diffluebat. Expecta igitur damna longe graviora. Exhaurientur pecuniæ, jacebit spreta Religio, fures impune grassabuntur.*

§. VI.

De amplificatione per congeriem consequentium.

62. Q. Quid est amplificatio per congeriem consequentium?

R. Est ea, in qua plura ponuntur acervatim ex eadem re consequentia. Ex hoc loco Virgilius noctem egregie describit. Æneidos 4. amplificando res varias, quæ noctem ferme consequuntur:

Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, sylvæque, et sæva quierant
Æquora: cum medio volvuntur sydera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, qnæque aspera dumis.
Rura tenent, somno positæ, sub nocte silenti
Lenibant curas et corda oblita laborum.

§. VII.

De amplificatione per comparationes, similitudines, et exempla.

63. Q. Quid est amplificatio per comparationes, similitudines, et exempla?

R. Est ea, quæ fit, per unam, vel per multas comparationes, ac similitudines, et per unum exemplum, vel per plura. Fit amplificatio per plures

comparationes, si dicas v. gr. cum Tullio in Pisonem: *Ego non te vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem?*

Fit amplificatio per unam tantum similitudinem in hoc Virgilii loco, ubi fortissimam Amazonem Camillam de imbelli hoste nullo labore triumphantem sic exprimit. Æneid II.

Quam facile accipiter saxo sacerales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor et vulsæ labuntur ab æthere plumæ.

§. VIII.

De amplificatione per conflictionem contrariorum.

64. Q. Quid est amplificatio per conflictionem contrariorum, et inter se pugnantium?

R. Est ea; qua plura contraria per antitheses opponuntur, ut illa Ciceronis in Catilinam: *Hoc vero quis ferre possit, iners homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus.*

§. IX.

De amplificatione per incrementum.

65. Q. Quid est amplificatio per incrementum?

R. Est ea, qua oratio veluti per gradus videtur augeri, et ascendere, donec ad summum pervenerit. Ita Tullius Verris crudelitatem eo per incrementum deducit, ut verba explanando crimini non ultra suppeditent: *Facinus est,* inquit, *vincere civem Romanum, prope parricidium necare; quid dicam, in crucem tollere?*

Nihil addi jam videtur ad hanc amentiam, improbitatem, crudelitatemque posse.

66. Q. Quomodo fit amplificatio verborum?
R. Fit sex præcipue modis. 1. Per verba translata, seu metaphorica: 2. per verba superlata: 3. per verba synonima. 4. per verba gravia, et illustriora. 5. per periphrasim, seu circumlocutionem. 6. per repetitionem.

§. X.

67. Q. Quomodo fit amplificatio per verba metaphorica?
R. Fit, cum adhibentur in oratione metaphoræ, seu translationes; et in primis metaphora nil aliud est, nisi quoddam loquendi genus, quo vox aliqua a propria sua significatione transfertur ad alienam: ut si dicas: *Prata ridere, parietes gestire gaudio, aliquem esse ira incensum, inflammatum cupiditate, errore lapsum:* voces illæ omnes sunt metaphoricæ, quia tribuunt pratis, et parietibus risum, et gaudium, quæ propria sunt hominis solius. Idem plane dicendum est de ceteris locutionibus, quæ tribuunt homini flammam, et incendium igni proprium. En exemplum amplificationis per metaphoram ex Virgilio depromptum de Ænea irato lib. 12.

...... *Irarumque omnes effundit habenas.*
vel ex eodem lib. 4. de Didone:
...... *Magnoque irarum fluctuat æstu.*

Quia habenas, et æstum, quæ propria conveniunt equis, ac fluctibus, tribuit Æneæ, et Didoni.
Item si de homine impavido, et imperterrito dicas cum Horatio in odis lib. 1.

Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus,

Et sic fit amplificatio verborum per verba metaphorica.

§. XI.

68. Q. Quomodo fit amplificatio per verba superlata?
R. Fit amplificatio per verba superlata, hoc est, quæ veritatem superant, et plus dicunt quam re ipsa esse possit. Ut cum ait Tullius de Iulio Cæsare, in oratione pro Marcello: *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.*
Hanc amplificandi artem adhibuit Virgilius Æneidos lib. 12. cum de Turni equis dixit per Hyperbolem;

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Item cum de equo Trojano dixit:

Instar montis equum divina Dalladis arte
Ædificant.

Sed nusquam magis indulsisse videtur huic schemati, quam cum Amanzonem Camillam laudans libro septimo dixit per verissimam hyperbolem.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

§. XII.

69. Quomodo fit amplificatio per verba synonima?
R. Fit per congeriem verborum, et sententiarum idem plane significantium; ut ait Cicero in Catilinam: *non feram, non patiar, non sinam*: et Virgilius Æneidos. lib. 2.

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris.

§. XIII.

70. Q. Quomodo fit amplificatio per verba graviora, et illustriora?
R. Fit, cum adhibentur verba splendida, quæ rem significantius exprimant, et in quibus plenum quiddam, numerosum, et sonans esse videatur. Ita Virgilius de Didone moritura:

At trepida et cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes
Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.

§. XIV.

71. Q. Quomodo fit amplificatio per periphrasim, seu circumlocutionem?

R. Fit, cum longiori verborum ambitu circuituque dicimus, quod brevius, ac simplicius dici poterat. Circumlocutione Virgilius utitur Æn. 12. cum pro hac una voce *moritur*, sic ait:

Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem,

Et in Ecloga prima, ubi pro hac una voce *jam advesperascit*, longiori hac, tritaque utitur periphrasi.

Et jam summa procul villarum culmina fumant
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

§. XV.

De amplificatione per repetitionem.

72. Q. Quomodo fit amplificatio per repetitionem?

R. Fit, cum verbum idem sive ornatus causa, sive ad motus excitandos iteratur, duplicaturque, vel in principio, vel in fine, vel in medio dictionis. Ut cum ait Tullius: *vidi enim, vidi, penitusque prospexi.* Et Ovidius alio loco dicit:

Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis:
Credidimus generi, nominibusque tuis.
Credidimus lacrymis: an hæ simulare docentur?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur, eunt.

73. Q. Quibusnam figuris potissimum varianda erit, et distinguenda amplificatio?

R. Præcipua, quæ amplificationem ornant, Schemata

sunt: Hypothyposis, Exclamatio, Prosopopœja, Apostrophe, Interrogatio, et aliæ vehementiores figuræ.

§. XVI.

74. Q. Quid sit in amplificatione vitandum?
R. Duo fugienda sunt: in primis minutissima quæque singulatim, exiliter, et perexigue vitanda erunt: alterum est fugiendum, vacuæ nempe voces, et inanis verborum sonitus: ut sapienter monet Tullius lib. 1. de Oratore:

Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia?

Attamen melius est abundare ubertate quadam, copiaque verborum, quam eorumdem jejunitate, atque inopia.

Hactenus de amplificatione
Laus Deo.

CAPUT V.

De affectibus excitandis.

75. Q. Quid est affectus?
R. Affectus est appetitio, vel aversatio animæ sentientis ex opinione boni, vel mali.
76. Q. Quot sunt affectus?
R. Affectus primi-genii sunt: gaudium, et tristitia: sunt, qui cum Stoicis, quatuor tantum statuunt affectus, duos circa bonum, nempe spem, et gaudium, et duos circa malum, scilicet tristitiam, et metum.

Quatuor hosce motus eleganter expressit Virgilius. Æneidos VI. cum ait:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Eosdem Boetius hisce quatuor versiculis est complexus:

1. *Gaudia pelle* 2. *Pelle timorem:*
3. *Spemque fugato;* 4. *Nec dolor adsit.*

77. Q. Quid est gaudium?
R. Gaudium est affectus, quo aversamur cum tæ-

dio : hisce reliqui quasi partes subjiciuntur, quorum præcipue sunt, quoad voluptatem, qui sequuntur.

§. I.

De amore, et odio.

78. Q. Quid est Amor?
R. Amor est gaudium ex alieno bono; sive est affectus, quo alicui bene volumus, eique bene facimus non nostra, sed illius causa.
Ita Metastasius de amore divino ait:

Per me vagisce in cuna
Per me soggiace al verno
Chi gli astri, e la fortuna
Ha servi al suo voler.
E da quel soglio eterno,
Che pose in grembo al sole
Per me discende, e vuole
Delle stagioni instabili
L' ingiurie sostener.

79. Q. Quot sunt germani amoris conditiones, seu dotes?
R. Sunt tres: 1. est ut ei, quem amemus, optemus bona, vel saltem, quæ bona esse arbitramur. 2. conditio est, ut quæ bona judicamus, non optemus illi dumtaxat, sed etiam pro virili parte procuremus. Audi Iulium Cæsarem Scaligerum:
Tu si ex animo forte velis, cui benefactum
Addas opera: sola cadaver est voluntas.
3. conditio est, ut ita simus animati non propter propriam utilitatem, sed illius causa, quem diligimus. Nam Tullius in libro primo de natura Deorum ait: *Si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum.*

80. Q. Differtne amor ab amicitia?
R. Maxime; nam in amore, etsi qui amat non redametur, tamen est verus amor: amicitia vero requirit amorem mutuum: unde Aristoteles rogatus, quid esset amicus, pulcre respondit; *anima una in duobus habitans corporibus.*

81. Q. Quomodo excitatur amor.
R. Amor excitatur commemorando: 1. animi vir-

tutes. Sic Virgilius Æneid. 1. Æneæ virtutem collaudat:

Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, et armis.

2. amor conciliatur commemorando beneficia collata; Maro ita cecinit Æneid. 1.

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra, Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divum;
Nymborumque facis, tempestatumque potentem.

3. Nulla re magis comparatur amor, quam amore mutuo: juxta illud Senecæ effatum: *si vis amari, ama.*

4. Denique excitatur amor ex oris, ac corporis dotibus, si sint cum virtute conjunctis. Ita Maro Æneid. VIII.

. . . . *Sed cunctis altior ibat*
Anchises. Mihi mens juvenili ardebat amore,
Compellare virum, et dextræ conjungere dextram.

De affectibus pateticis.

82. Q. Quid est odium?
R. Est affectus animi aversantis id, quod malum esse putatur.

83. Q. Quanam arte concitandum erit Odium?
R. Odium excitatur ab insignibus vitiis, ab improbitate, et superbia, demum ab illatis injuriis.

§. II.

De metu, spe, et audacia.

84. Q. Quid est metus, seu timor?
R. Metus est tristitia orta ex imminente malo.

85. Q. Quomodo excitatur metus?
R. Excitatur exponendo: I. mali magnitudinem, ut bellum, pestilentia, pauperies, infamia, infelix æternitas. II. mali vicinitatem, et periculum imminens; ut proximum naufragium, morbus gravissimus.

III. exponendo malum non publicum, et commune, sed esse privatum, et proprium.

86. Q. Quid est spes?

R. Spes est gaudium ex bono futuro. Ita Metastasius cecinit:

Perchè gli son compagna
L' estivo raggio ardente
L' agricoltor non sente;
Suda, ma non si lagna
Dell' opra, e del sudor.

Con me nel carcer nero
Ragiona il prigioniero,
Si scorda affanni, e pene,
E al suon di sue catene
Cantando va talor.

87. Q. Quomodo excitatur spes?

R. I. Exponendo boni magnitudinem, honestatem: II. præsidia ad illud comparandum, uti sunt opes, vires, industria, prudentia, amici, adversariorum imbecillitas, et favor divinus: ita Cicero contra Catilinam:

Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias, vestra præsidia, vestrosque exercitus etc: et Æneas apud Virgilium spem suorum excitat.

O passi graviora, dabit Deus his quoque finem:
Durate, et vosmet rebus servate secundis.

88. Q. Quid est audacia?

R. Est gaudium ex bono futuro, sed arduo.

89. Q. Quomodo excitatur?

R. Eadem ratione, qua excitatur spes: hinc Virgilius.

Audentes fortuna juvat.

§. III.

De misericordia.

90. Q. Quid est Misericordia?

R. Est tristitia, seu dolor animi, et ægritudo quædam ex malo alterius, præsertim immerito laborantis.

91. Q. Quomodo excitatur?

R. Ostendendo: I. patientem immeritum: II. benemeritum, nempe si de patria, vel de nobis pri-

vatim benemeritus fuisse ostendatur: III. Excitatur si calamitatis magnitudo, vel diuturnitas, cæteræque hujusmodi circumstantiæ luculenter exponantur: IV. Exponendo mali signa: hac arte excitatur tristia ex malo alterius.

§. IV.

De Ira, et Indignatione.

92. Q. Quid est ira?

R. Ira est tristitia ex injuria, quæ si inveteraverit odium audit; ab Horatio definitur: *brevis furor*; ab Aristotele autem ita definitur: *ira est sui, propter contemptum, ulciscendi cupiditas, cum dolore conjuncta*: ira inveterata odium appellatur.

93. Q. Quomodo excitatur, et incenditur ira?

R. Excitatur ira ex contrariis capitibus, nempe commemorando illatam injuriam, si præsertim injuria sit cum contemptu conjuncta: hinc Virgilius Æneid. I.

. . . . *Manet alta mente repostum*
Iudicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.

Facilius autem ad iram concitantur, qui morbo, paupertate, aut quavis molestia laborant, ut fame, siti, aliisque hujuscemodi.

94. Q. Quid est indignatio?

R. Indignatio est tristitia ex bono alterius indigni; sive est dolor perceptus ob secundas res, bonaque alterius, qui hac felicitate judicatur indignus. Hinc Maro cecinit Eclogæ VIII.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
. . . . *Barbarus has segetes?*

95. Q. Estne aliquod discrimen inter invidiam, et indignationem?

R. Maxime, nam indignatio fit tantum in indignos, eo quod fruuntur bono, ut vel ex ipso nomine liquet. Unde indignatio præsertim suscipitur ab iis, qui sunt viri probi, et honoris cupidi, quia

boni ferunt indigne malos florere; et honoris studiosi indignantur immerentes anteferri sibi. Invidia autem est erga bonos, et sua felicitate dignos.

96. Q. Quomodo concitatur indignatio?

R. Duplici modo excitatur indignatio: ostendendo: I. gaudentis indignitatem: II. ejus, cui anteferfertur, virtutes; quoad primum Tullius indignationem ita movet in Vatinium: *Te cognati respuunt; vicini metuunt: affines crubescunt:* Et Horatius indignationem concitat adversus Menam Pompeji magni libertum.

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga
Ut ora vertat huc, et huc euntium
Liberrima indignatio.
Sectus flagellis hic triumviralibus,
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera
Et appiam mannis terit:
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contempto, sedet.

§. V.

De mansuetudine.

97. Q. Quid est Mansuetudo?

R. Mansuetudo, seu lenitas, vel clementia est motus oppositus iræ, et nil aliud est, nisi *iræ mitigatio, ac remissio.*

98. Q Quomodo mitigabitur ira, et conciliabitur mansuetudo?

R. Mitigabitur ira: I. per culpæ confessionem: II. per animi demissionem: III. per supplices infirmiores, vel virtute potiores: IV. per commodiora tempora, et loca: V. ostendendo quantum præstat mansuetudo vindictæ: VI. ostendendo, qui peccaverit, incautum peccasse.

§. VI.

De Æmulatione.

99. Q. Quid est Æmulatio?
R. Est tristitia ex bono alterius, quod illo careamus, non quod illi contingerit: æmulatio igitur est in laude ponenda, et ad perdiscendas bonas artes plurimum valet.
100. Q. Æmulatio differtne ab invidia?
R. Maxime; nam æmulatio est bona, laudabilis, et honesta, et nos excitat, ut ipsi quoque bona consequamur. Contra vero invidia vitiosa est, turpisque, quia id agit, ne alter bonis potiatur, ut ait: Horatius:
Invidus alterius rebus macrescit opimis.
101. Q. Quomodo excitatur æmulatio?
R. Excitatur: I. proponendo majorum exemplar: II. exponendo aliorum perfectiones.
102. Q. Quid est lætitia?
R. Est gaudium ex mali cessatione.
103. Q. Quid est acquiescentia?
R. Est gaudium ex rebus bene gestis.
104. Q. Quid est gloria.
R. Est gaudium ex bono aliorum de nobis judicio.
105. Q. Quid est desiderium?
R. Est tristitia ex retardatione boni sperati.
106. Q. Quid est pœnitentia?
R. Est tristitia ex malo patrato.
107. Q. Quid est pudor?
R. Est tristitia e sinistra aliorum de nobis judicio.

Hactenus de affectibus excitandis.

Finis Inventionis.

Laus Deo.

DE ARTE RHETORICA

LIBER SECUNDUS

De dispositione.

1. Q. Quid est Dispositio?
R. Dispositio est secunda pars Rhetorices, quæ docet quomodo inventa disponantur. Unde a Tullio recte definitur: ***rerum inventarum in ordinem distributio.***

2 Q. Estne utilis Dispositio?
R. Ea est dispositionis utilitas, ut singula quæque suum locum teneant in oratione: orationis vero partes nisi fuerint dispositæ, fiet confusio in dicendo.

3. Q. Quot, et quænam sunt orationis partes?
R. Orationis partes sunt septem: et sunt: 1. Exordium: 2. Propositio: 3. Divisio: 4. Narratio: 5. Confirmatio: 6. Confutatio: 7. Peroratio, quæ indicantur hoc versiculo:

Exorsus, narro, seco, firmo, refuto, peroro.

CAPUT I.

De Exordio.

4. Q. Quid est Exordium?
R. Exordium est prima pars orationis, quæ auditorum animos ad reliquam orationem comparat: sic a Tullio recte definitur; et ab eodem Exordium appellatur difficillima pars orationis.

5. Q. Undenam nomen traxit Exordium?
R. Exordii vox sumpta est a textoribus, qui proprie telam ordiri dicuntur, cum certa quadam lege fila collocant, et ordine illa componunt.

§. I.

De variis Exordiorum generibus.

6. Q. Quotuplex est Exordium?
R. Duplex; aliud temperatum, aliud ex abrupto;

primum est illud, quo auditorum animi artificiosa quadam verborum conciliatione præparantur: alterum est, quo orator, quasi quodam abreptus impetu, auditores repentino, et inopinato motu percellit. Ita Cicero in Catilinam: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra. etc.*

§. II.

De Exordii Dotibus.

7. Q. Quot, et quænam sunt Exordii dotes?
R. Quatuor, et sunt: proprietas, cura, verecundia, et brevitas.

8. Q. In quo posita est proprietas Exordii?
R. 1. In eo posita est, ut Exordium sit cum reliqua oratione conjunctum, tamquam caput cum corpore. 2. Ut sit ex re quasi natum, et ex ipsis causæ visceribus ita depromptum, ut ex illius natura quodammodo videatur efflorescere.

9. Q. Quomodo erit vitiosum Exordium?
R. 1. Vitiosum erit, si sit vulgare, ac commune, nempe si causis aliis, et fortasse etiam contrariis, possit accommodari: cujusmodi Exordia lepide comparantur ephippio, quod equis bene multis accommodaretur, vel gladio Delphico, qui ad hunc modum factus fuit, ut eodem et sacras mactarent victimas, et supplicio nocentes afficerent. 2. Vitiosum erit Exordium, si sit commutabile, scilicet, si leviter mutatum, ab adversario possit usurpari. Si sit procul accersitum, longiusque petitum, vel si nihil ad rem pertineat. Quare Exordia similiter se habent ac

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit.

Quale etiam fuit Exordium inepti illius causidici, qui de lite inter duos vicinos acturus, Exordium petivit ab Adamo, vixque ad diluvii tempora tandem pervenit.

10. Q. In quo posita est Exordii cura?

... in eo posita est, ut Exordium sit plenum dignitatis, sit accuratum et acutum, sit aptum verbis et instructum sententiis, et quod periti solent Architecti, vestibula, aditusque ad causam faciat illustres, inquit Tullius. Prima quippe Oratoris commendatio proficiscitur ab Exordio: quod si negligentius tractatum fuerit, reliqua omnia fastidiet, et nauseabit auditor. Ut enim optime monet Fabius, pessimus sane videtur gubernator ille, qui e portu solvens, statim ad scopulos navem appellit. Caveat tamen orator, ne quod sæpe contingit, Exordii nimis picti, et nimis artificiosi splendore ac concinnitate, præstigiarum, ac fraudis suspicionem auditoribus præbeat.

11. Q. In quo consistit Exordii verecundia?

R. In eo consistit, quod Orator dicere incipiens, præ se ferat illorum ingenuum pudorem, quem in Oratore summo L. Crasso tantopere laudabat Cicero: *Fuit enim*, inquit, *in L. Crasso pudor quidam, qui non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.* Et ipse etiam L. Crassus de se sic confitetur lib. 1. de Oratore: *In principiis dicendi, tota mente, atque omnibus artubus contremisco.* Sciebat enim summus ille dicendi artifex et doctor, offendi solere auditorum animos, si orator velut exultans sibique præsidens, ad dicendum accedat.

12. Q. In quo posita est brevitas Exordii?

R. In eo posita est, ut Exordium reliquæ orationis magnitudini sit accommodatum, et ut inani verborum circuitione non producatur longius quam par sit. Neque enim profecto cubitali Pygmæi corpori caput giganteum, aut humili tugurio valvæ prægrandes ingensque vestibulum affigi debent. Quod si fiat, bellissime sane quadrabit in enormia id genus proemia facetum illud Diogenis dictum ad Myndios, qui suo oppidulo grandes et magnificas fores affixerant: *Viri Myndii, portas claudite, ne urbs exeat.*

§. III.

De variis Exordiorum fontibus.

13. Q. Quibus ex fontibus ducuntur Exordia?
R. Varii sunt fontes, unde derivari solet Exordium justum ac legitimum. Exordium ducitur 1. ab adjunctis personæ, rei, loci, ac temporis: atque hic erat fons notus ac familiaris Tullio, qui hinc ferme solebat exordiri. 2. a simplici rei expositione; 3. a contrario: 4. ab effatu, vel exemplo: 5. a quæstione: 6. a suspensione: 7. a visceribus causæ.

§. IV.

De Officio, et munere Exordii.

14. Q. Quotuplex est officium, ac munus Exordii?
R. Exordii munus est triplex: ut reddat auditorem intentum: benevolum autem reddet a persona oratoris, auditorum, adversariorum, et clientis, attentum reddet promissione, et petitione; docilem reddet promittendo brevitatem, et perspicuitatem.

CAPUT II.

De propositione.

15. Q. Quid est Propositio?
R. Propositio est ea orationis pars, qua declaramus quid probare velimus.
16. Q. Quot sunt propositionis dotes?
R. Propositionis dotes sunt quatuor: ut sit 1. simplex: 2. clara: 3. fecunda: 4. vel nova, vel utilis.

CAPUT III.

De Divisione.

17. Q. Quid est Divisio?
R. Divisio est ea orationis pars, qua propositiones in suas partes dividimus.

18. Q. Quot leges divisionis assignantur?
R. Divisionis leges sunt tres: 1. ut sit plena: 2. ut unum membrum sit extra aliud: 3. ut ad summum tres partes habeat.

CAPUT IV.

De Narratione.

19. Q. Quid est Narratio?
R. Narratio est ea orationis pars, qua rem exponimus, quæ in controversiam adducitur.
20. Q. Quot sunt Narrationis dotes?
R. Narrationis dotes sunt quatuor: 1. perspicuitas: 2. probabilitas: 3. brevitas: 4. et suavitas.

CAPUT V.

De Confirmatione.

21. Q. Quid est Confirmatio?
R. Confirmatio est ea orationis pars, in qua argumenta afferuntur.
22. Q. Quomodo fit Confirmatio?
R. Confirmatio fit per argumenta, et argumentationes.
23. Q. Quid est argumentum?
R. Est probabile inventum ad fidem faciendam.
24. Q. Quid est argumentatio?
R. Est argumenti fusior, et artificiosa dilatatio.
25. Q. Differtne argumentnm ab argumentatione?
R. Maxime: nam argumentatio est modus, seu ratio, qua argumentum tractatur; argumentum vero est ipsa argumentationis materia: unde argumenta ex se jejuna sunt, et imbecilla, nisi accedat artificiosa illorum explicatio.
26. Q. Unde sumuntur argumenta ad confirmandum idonea?
R. Argumenta sumuntur ex locis tum intrinsecis, tum extrinsecis.

27. Q. Quot sunt argumentationum species?
R. Argumentationis species præcipue sunt Syllogismus, Enthymema, Epicherema, Inductio, Exemplum, Sorites, Dilemma, Crocodilus.

§. I.

De Syllogismo.

28. Q. Quid est Syllogismus Philosophicus?
R. Syllogismus Philosophicus, a quo pendet oratorius est argumentatio constans tribus propositionibus ita inter se dispositis ut duabus primis concessis, concedenda sit tertia. Harum propositionum prima appellatur major, altera minor, extrema, consequentia: exem: gr: omnis ars honesta est amplectenda, atqui Rhetorica est ars honesta, ergo Rhetorica est amplectenda. Cæteræ argumentationes omnes quodammodo ad Syllogismum reducentur.
29. Q. Quid est Syllogismus oratorius?
R. Syllogismus oratorius est ratiocinatio constans quinque partibus, certo inter se ordine connexis; unde etiam vocatur Syllogismus perfectissimus.
30 Q. Quænam sunt partes Syllogismi oratorii?
R. Quinque numerantur: 1. est propositio; 2. propositionis probabio; 3. assumptio: 4. assumptionis probatio; 5. conclusio; en insigne Syllogismi oratorii exemplum iu Tullio, qui optime demonstrat, Divina providentia mundum gubernari: lib. 1. de Inventione.

Melius accurantur quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur. Et hæc *est* propositio. *Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, et apparatior, quam ea quæ temere, et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui propositus est sapiens, et callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia, et temeritate alicujus administratur. Eadem navigii ratio est. Nam navis optime cursum conficit ea, quæ*

scientissimo gubernatore utitur. Et hæc est propositionis probatio. *Nihil autem omnium rerum melius quam mundus administratur.* Et hæc est assumptio. *Nam et signorum ortus et obitus definitum quemdam ordinem servant, et annuæ commutationes non modo quodam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ, et diurnæ nocturnæque vicissitudines nulla in re unquam mutatæ quidquam nocuerunt.* Et hæc est assumptionis prabatio. *Quæ signa sunt omnia non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari.* Quæ est complexio, sive conclusio.

§. II.

De Enthymemate.

31. Q. Quid est enthymema?
R. Est pars syllogismi, seu syllogismus imperfectus.

32. Q. Quot partibus constat Enthymema?
R. Duabus; quarum prima vocatur a Logicis antecedens, alia consequens: ut virtus est amanda, ergo temperantia est amanda.

33. Q. Unde nomen suum traxit Enthymema?
R. Enthymema est vox græca, quæ significat, mente concipere, cogitare, nempe quia tertia propositio, quæ verbis non effertur, mente retineatur.

34. Q. Quomodo fit Enthymema?
R. Fit omittendo vel propositionem, vel assumptionem, seu, ut logici loquuutur, omittendo majorem, vel minorem; exempli gratia. *Clodius insidias struxit Miloni*; *ergo Clodius jure fuit occisus*; vel. *Quicumque alteri struit insidias, jure ab illo occiditur; ergo Clodius jure fuit occisus a Milone.*

§. III.

De Inductione.

35. Q. Quid est Inductio?
R. Est argumentatio, qua ex multis singularibus enumeratis aliquid concluditur.

§. IV.

De exemplo.

36. Q. Quid est exemplum?
R. Est inductio imperfecta, qua ab uno simili argumentatur ad aliud.

§. V.

De dilemmate.

37 Q. Quid est Dilemma?
R. Est argumentum constans duabus partibus contrariis, quæ utrinque adversarium capiunt. Unde etiam syllogismus cornutus appellatur, quod nempe illius cornua sint ita disposita, ut qui unum effugerit, in alterum incurrat.
38. Q. Habesne aliquod Dilemmatis exemplum?
R. En exemplum: omnis dolor aut est vehemens, aut levis, si levis, facile feretur, si vehemens, certe brevis erit.
39. Q. Unde nomen suum traxit Dilemma?
R. Ab adverbio græco δὶς bis, et a voce λημμα, sumptio, captio, quod nimirum utrinque capiat adversarium.

§. VI.

De Crocodilo.

40. Q. Quid est Crocodilus?
R. Est argumentationis species captiosa, et fallax, quæ incautos, quibusdam quasi vinculis irretitos, inducit in fraudem.

41. Q. Unde suum nomen traxit Crocodilus?
R. Vocatur Crocodilus ob hanc causam, quam Poetæ finxere: Crocodilus oranti mulierculæ ut filium, dum forte juxta flumen ambularet, abreptum, sibi redderet, respondit redditurum utique, si ad propositam quæstionem verum diceret. Hæc autem fuit quæstio: *Filium reddam tibi, nec ne?*
Ad hæc mulier anxia, fraudemque suspicata, respondit: Non reddes; et ob eam causam reddi debere, quod nempe verum dixisset:
Mentiris, inquit vafer crocodilus: si enim reddidero, verum non eris locuta; reddere ergo non possum, quia falsa dixeris.

§. VII.

De Sorite, et Epicheremate.

42. Q. Quid est Sorites?
R. Est argumentatio, quo ex multis propositionibus gradatim, minutim, et velut acervatim congestis aliquid infertur. Unde Syllogismus acervalis a Cicerone vocatur.
43. Q. Habesne aliquod exemplum?
R. Præsto est: Meus filius (lepide ajebat Themistocles) imperat matri, illa mihi, ego Atheniensibus, Athenienses Græciæ: Græcia Europæ: Europa toto orbi; ergo Filiolus meus imperat toto terrarum orbi. Hoc acervali, captiosoque argumentandi genere Themistocles dictitabat filium suum toto terrarum orbi imperare.
44. Q. Undenam Sorites suum nomen traxit?
R. A voce græca σωρεὶτε, cumulus, acervus, unde σωρος, Sorites, argumentum acervale.
45. Q. Quid est Epicherema?
R. Est Enthymema contractum, cujus duæ propositiones in unam conferuntur, ut, sine causa dominum servus accuset: In hac enim una propositione continentur hæ duæ: Non debet servus temere, et sine causa dominum incusare; ergo ser-

vus, et medicus regis Dejotari non debet illum temere apud Cæsarem incusare.

Hactenus de præcipuis argumentationis speciebus.

CAPUT VI.

De Confutatione.

46. Q. Quid est confutatio?
R. Confutatio est ea orationis pars, in qua rationes contra nos pugnantes refellimus.

47. Q. Quomodo fit Confutatio?
R. Ea fit sex præcipuis modis: I. negando: II. excusando: III. aliud objiciendo: IV. contemnendo: V. ridendo: VI. compensando.

CAPUT VII.

De Peroratione.

48. Q. Quid est Peroratio?
R. Peroratio est ultima orationis pars, in qua id, quod in tota oratione expetivimus per epilogum, et affectuum commotionem obtinere contendimus: ita Quintilianus.

49. Q. Quot partes habet Peroratio?
R. Peroratio duas habet partes; I. Epilogum; II. affectus.

50. Q. Quænam sunt præcipuæ Perorationis dotes?
R. Perorationis dotes sunt: vehementia, et brevitas.

Finis Libri Secundi
De Dispositione

Hactenus de secunda parte Rhetorices, qua inventa disponuntur.

CAPUT VIII.

De Diversis Orationibus.

§. I.

De Orationibus Demonstrativi generis.

I. De Oratione Panegyrica.

1. Q. Undenam Panegyrici nomen descendit?
R. A voce græca πανὔγυρις, panegyris, quæ sibi vult cœtus universalis: unde illæ proprie dicebantur orationes Panegyricæ, quæ olim magno apparatu in panegyri habebantur, in publico nempe, solemnique Græcorum undique convolantium cœtu.
2. Q. Quotuplex est Oratio Panegyrica?
R. Duplex: alia naturalis, artificialis alia. Prima est, in qua historiæ, ac temporis servatur ordo: altera, cum indiscriminatim confuso temporis ordine, omnia ac certa quædam capita ex arte revocantur.
3. Q. Quid laudandum in Oratione Panegyrica?
R. Ante ortum laudabitur: I. genus: II. patria: in vita laudabuntur: I. virtutes; II. scientiæ: III. artes: bona corporis, et fortunæ. In morte laudabitur: I. mortis genus: II. mortis causa: post mortem laudabitur; I. pompa funebris; II. dolor bonorum.

§. II.

De Oratione Genethliaca.

4. Q. Quid est Oratio Genethliaca, seu natalitia?
R. Oratio Genethliaca, quæ etiam Genethliacum, seu Genethliacus appellatur, est oratio, qua alicujus dies natalis celebratur.
5. Q. Quibus constat partibus oratio Genethliaca?
R. Quatuor continet partes hæc oratio: 1. laudes parentum: 2. spem pueri: 3. lætitiam, et gratulationem de prole: 4. preces, ut puero omnia fauste eveniant.

§. III.

De Oratione Nuptiali.

6. Q. Quid est Epithalamium, seu oratio nuptialis?
R. Epithalamium est oratio, qua alicujus nuptiæ celebrantur.
7. Q. Unde descendit vox Epithalamii?
R. Epithalamium est vox Græca θαλαμις, quæ cubiculum nuptiale significat.
8. Q. Quot partes habet oratio nuptialis?
R. Quatuor: continet: 1. laudes nuptiarum; 2. laudes utriusque conjugis: 3. descriptionem apparatus: 4. omina, et vota pro conjugibus ad Deum.

§. IV.

De Oratione funebri.

9. Q. Quid est oratio Funebris?
R. Est ea, quæ habetur vel in ipso funere, vel in anniversario funeris die. Hæc oratio primum apud Græcos inventa est a Solone, uno ex septem Sapientibus.
10. Q. Quot partes continet oratio funebris?
R. Oratio funebris tres partes continet: 1. laudes mortui. 2. consolationem parentum. 3. parænesin, sive adhortationem ad superstites.

§. V.

De Oratione Eucharistica.

11. Q. Quid est Oratio Eucharistica?
R. Est ea, qua ob acceptum insigne aliquod beneficium gratias agimus alicui.
12. Q. Unde nomen traxit oratio Eucharistica?
R. A voce græca διγχαμιστεῖ, gratias agere.
13. Q. Quot partes continet hæc oratio?
R. Oratio Eucharistica continet: 1. lætitiam de beneficio: 2. amplificationem beneficii a persona, cui gratificatur: 3. a re quam gratificamur, a ratione gratificandi, sensa gratitudinis.

§. VI.

De Epinicio.

14. Q. Quid est Epinicium?
R. R. Est gratulatio ob reportatam victoriam; vel pro adepta dignitate, vel laude, vel pro victoria de se ipso reportata, nempe passionum.
15. Q. Undenam descendit Epinicium?
R. A voce græca νικη, quæ latine sonat victoria.
16. Q. Quot partes continet oratio gratulatoria, seu Epinicium?
R. Continet in exordio lætitiam de victoria in confirmatione belli, necessitatem, difficultatem, et æquitatem, diligentiam in apparando, virtutem in gerendo, celeritatem in conficiendo, victoriæ commoda, laudes virorum.

Ad genus demonstrativum pertinent non solum supradictæ orationes, sed etiam Soteria, Propempticon, Apobaterion, et Epibaterion.

17. Q. Quid est Soteria?
R. Soteria est oratio, qua restitutam alicui sanitatem gratulamur, et pro sua salute grates agimus.
18. Q. Quid est Propempticon?
R. Propempticon est oratio, qua discedentem faustis ominibus prosequimur.
19. Q. Quid est Apobaterion?
R. Apobaterion est oratio, quam habemus discedentes hinc ubi cum benevolentia sumus excepti.
20. Q. Quid est Epibaterion?
R. Est oratio, qnam habet, qui post peregrinationem domum incolumis redit.

Hactenus de generis demonstrativi orationibus.

CAPUT IX.

Orationes generis deliberativi.

21. Q. Quisnam est finis generis deliberativi?
R. Honestas, et utilitas.

22. Q. Quænam sunt Orationes generis deliberativi?
R. Deliberativi generis orationes sunt: suasio, dissuasio, hortatio, dehortatio, conciliatio, concitatio, commendatio, petitio, et consolatio. Argumenta, pro quavis harum oratione ducuntur: 1. ab honesto: 2. ab utili: 3. a necessario: 4. a facili: 5. a jucundo.

CAPUT X.

Orationes generis judicialis.

23. Q. Quænam sunt orationes generis judicialis?
R. Iudicialis generis orationes sunt: 1. accusatio, et defensio; utraque eadem præcepta desiderat, quæ hactenus attulimus.

FINIS

Laus Deo.

LIBER TERTIUS

De Elocutione.

1. Q. Quid est elocutio?
R. Elocutio est *accomodatio idoneorum verborum, et sententiarum ad res inventas.*

2. Q. Quænam potissimum in Elocutione tractantur?
R. Tria sunt, quæ fere solent in Elocutione tractari; scilicet primum quod attinet ad figuras, alterum, quod spectat ad periodum, tertium vero quod respicit stylum.

3. Q. Quid est Figura?
R. Figura est ornamentum quoddam orationis, seu loquendi modus illustrior, et a communi consuetudine remotus: Cicero in Antonium si ita dixisset: *Antonius interfecit tres exercitus populi romani, eripuit vobis clarissimos cives, afflixit auctoritatem hujus ordinis*; nimis communiter, atque adeo frigide dixisset: eloquenti vero, et figurata oratione usus est, cum easdem sententias ita expressit: *Doletis tres exercitus populi romani interfectos? interfecit Antonius: Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? Afflixit Antonius.* Quantum roboris habet hic modus dicendi, quantum dignitatis!

4. Q. Quotuplex est figura?
R. Iam cum figurarum genera præcipua duo sint, unum earum, quæ in verbis, alterum illarum, quæ in sententiis versantur; hinc figura duplex est: una verborum, altera sententiarum. Itaque figura, seu *Exornatio,* ut ait Cicero, *verborum est, quæ ipsius sermonis insignita continetur per politionem. Sententiarum vero exornatio est, quæ non in verbis, sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem.* Exordiemur a figuris sententiarum.

5. Q. Quænam sunt sententiarum figuræ?
R. Sententiarum Figuræ sunt plures, eæque ad eloquentiæ vim exercendam aptissimæ: aliæ enim ad

movendos, aliæ ad delectandos, aliæ ad docendos auditorum animos mire faciunt. Ex iis autem, quæ ad movendum plerumque adhibentur, præcipuæ sunt: Exclamatio, Dubitatio, Obsecratio, Interrogatio, Subjectio, Prætertio, et Reticentia, denique Epiphonema.

6. Q. Quid est Exclamatio?

R. Exclamatio, ut eam cum Cicerone definiam, est, quæ conficit significationem doloris, aut indignationis alicujus per hominis, aut urbis, aut loci, aut cujuspiam compellationem. Hinc ipse in Verrem: *O magnum, atque intolerandum dolorem! O gravem, acerbamque fortunam!* Quamquam Exclamatio non dolori tantum, atque indignationi servit, verum etiam aliis animi motibus explicandis.

Per hanc figuram Sinon apud Virgilium egregie nititur Trojanorum misericordiam movere:

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere, aut quid jam misero mihi denique restat?

7. Q. Quid est Dubitatio?

R. Dubitatio, ait Tullius, est cum quærere videtur orator, utrum de duobus potius, aut quod de pluribus potissimum dicat. Sic idem pro Cluentio: *Equidem quo me vertam, nescio, negem fuisse illam infamiam judicii corrupti? Negem illam rem agitatam in concionibus?* Sic etiam Franciscus Petrarca secum ipse dubitans canebat:

Che fai? che pensi? che pur dietro guardi
Nel tempo, che tornar non puote omai?

8. Q. Quid est Obsecratio?

R. Obsecratio est ea, quæ fit cum alicujus sive Dei, sive hominis opem imploramus. Quare Cicero pro Dejotaro sic opem Cæsaris implorat: *Per dexteram, te, istam, oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti, istam, inquam, dexteram non tam in bellis, et in præliis, quam in promissis, et in fide firmiorem.*

Et apud Torquatum Tassum eadem ferme ratione imploratur auxilium Gotefridi:

Per questi piedi, onde i superbi, e gli empi
Calchi, per questa man, che il dritto aita,
Per l'alme tue vittorie, e per quei tempi
Sacri, cui desti, e cui dar cerchi aita,
Il mio desir tu, che puoi solo adempi.

9. Q. Quid est imprecatio?

R. Est execratio quædam, qua malum imprecamur alicui, vel etiam nobismetipsis. Sic Tullius pro Dejotaro: *Dii te perdant, fugitive.*

10. Q. Quid sunt Interrogatio, et Subjectio?

R. Interrogatio est figura, quæ fit cum aliquem interrogamus, non tam ad rem dubiam quærendam, quam ad propositum ipsum vehementius urgendum. Ita Virgilius:

. . . . . *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

Cum vero Interrogationi succedit Responsio, tunc fit ea figura, quæ vocatur Subjectio: audi Petrarcam:

Che parlo? o dove sono, e chi m' inganna?
Altri, che io stesso, e 'l desiar soverchio.

11. Q. Quid est Præteritio?

R. Præteritio, inquit Cicero, est cum dicimus nos præterire, aut nescire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus: *Io lascio stare* (ait Iohannes della Casa) *e Bologna, e Firenze, e Roma, e molti altri stati, de' quali voi* (Carolum V. alloquebatur) *per avventura avreste potuto agevolmente in diversi tempi farvi Signore.*

12. Q. Quid sunt Reticentia, et Epiphonema?

R. Reticentia, quæ a Cicerone vocatur *Præcisio*, est cum, dictis quibusdam, reliquum quod cœptum dici relinquitur audientium judicio.

Neptunus apud Virgilium cum ventos increpuisset, ita illis minatur:

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

Denique Epiphonema est rei narratæ summa acclamatio: ita Virgilius.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

13. Q. Quænam sunt figuræ ad delectandum aptiores?

R. Sunt præsertim Apostrophe, Hypotiposis, Pro-

sopopœja, atque Ethopœja. Ac primo quidem Apostrophe est figura; quæ fit cum sermonem ab eo, vel ab iis, apud quos loquimur, ad alios convertimus. Sic Cicero in Miloniana a judicibus ad milites conversus, ita exclamat: *Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro Republica sanguinem effudistis*. Nec tantum ad homines fieri solet Apostrophe, sed etiam ad res inanimes, sensuque carentes, atque adeo ad bestias, qualis facta est a Petrarca:

Valle, che de' lamenti miei se' piena,
Fiume, che spesso del mio piagner cresci,
Fere silvestri, vaghi augelli, e pesci,
Che l'una, e l'altra verde ripa affrena.

14. Q. Quid est Hypotiposis?

R. Hypotiposis definitur a Tullio, ut sit demonstratio quædam, quæ fit cum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium, et res ante oculos esse videatur. Hac figura describuntur ad vivum Cyclopes fabrilibus artibus intenti apud Virgilium Æneid. VIII.

. . . . . *Alii ventosis follibus auras*
Accipiunt, redduntque, alii stridentia tingunt
Æra lacu; gemit impositis incudibus antrum,
Illi inter se se multa vi brachia tollunt
Innumerum, versantque tenaci forcipe massam.

15. Q. Quid est Prosopopœja?

R. Prosopopœja, sive Conformatio; ut ait Cicero, est cum aliqua, quæ non adest, persona, fingitur quasi adsit; aut cum res muta, aut informis fit loquens, et forma ei, et oratio attribuitur ad dignitatem accommodata; aut actio quædam. Ita Lucanus Patriam inducit, quæ Cæsarem a bello civili dehortatur:

Ingens visa duci Patriæ trepidantis Imago
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem
Turrigero, canos effundens vertice crines.
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui; quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? si jure venitis
Si cives huc usque licet?

Sic etiam Alexander Guidi Fortunæ formam, dignitatem, et orationem attribuit:

Una donna superba al par di Giuno
Colle treccie dorate all' aura sparse,
E co' begli occhi di cerulea luce
Nella capanna mia poc' anzi apparse;
E come suole ornarse
In sull' Eufrate barbara reina,
Di bisso, e d' ostro si copria le membra;
Nè verde lauro, o fiori,
Ma d' indico smaraldo alti splendori
Le fean ghirlande al crin.
In si rigido fasto, ed uso altero
Di bellezza, e d' impero,
Dolci lusinghe scintillaro al fine,
E dall' interno seno
Usciro allor maravigliosi accenti,
Che tutti erano intenti
A torsi in mano di mia mente il freno.
Pommi, disse, la destra entro la chioma
E vedrai d' ogni intorno
Liete, e belle venture
Venir con aureo piede al tuo soggiorno;
Allor vedrai, ch' io sono
Figlia di Giove, e che germana al Fato
Sovra il trono immortale
A lui mi siedo al lato;
Alle mie voglie l' Ocean commise
Il gran Nettunno, e indarno
Tentan l' Indo, e 'l Brittanno
Di doppie ancore, e vele armar le navi,
S' io non governo le volanti antenne
Sedendo in su le penne
De' miei spirti soavi,
Io mando alla lor sede
Le sonanti procelle, e lor sto sopra,
E col sereno piede
Entro l' Eolie rupi,
L' eco, e l' ali de' venti
E soglio di mia mano

De' turbini spezzar le rote ardenti;
Dentro de' proprii fonti
Spegno le fiamme orribili inquiete
Avvezze in Cielo a colorir Comete.

16. Q. Quid est Ethopœja?

R. Ethopœja, seu notatio, est cum alicujus natura certis describitur signis, quæ sicuti notæ quædam naturæ sunt attributæ. En tibi celeberrimam Catilinæ Ethopœjam, qualis est apud Sallustium:

Lucius Catilina nobili genere natus fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo, pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuere, ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuique credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cujus rei libet simulator, ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus. Ardens in cupiditatibus, satis loquentiæ, sapientiæ parum. Vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.

Quod si describantur non mores personæ, sed vultus, os, lineamenta, incessus, cultus, et habitus omnis, tunc habemus figuram priori affinem, quæ dicitur Prosographia. Vide quam vivis coloribus Plutonis personam expingat Torquatus Tassus C. 4. 8.ª 7.ª

Orrida maestà nel fiero aspetto
Terrore accresce, e più superbo il rende
Rosseggian gli occhi, e di veneno infetto
Come infausta cometa il guardo splende:
Gl' involve il mento, e su l' irsuto petto
Ispida, e folta la gran barba scende,
E in guisa di voragine profonda
S' apre la bocca d' atro sangue immonda.

17. Q. Quænam sunt figuræ, quæ magis valent ad docendum.

R. Antithesis, Sustentatio, Communicatio, et Correctio. Antithesis est figura, in qua verba verbis, sententiæ sententiis opponuntur: per Antithesim ita-

lus vates Gabriel Fiamma egregie effert divinæ gratiæ virtutem:

SONETTO.

Signor, se la tua grazia è foco ardente,
Come dà tanto refrigerio al core?
S' è d' umor fonte, ond' ha quel vivo ardore,
Da cui struggere ognor l' alma si sente?
S' è luce più che 'l Sol chiara, e splendente;
Come oscura del mondo ogni splendore?
S' è vita, ond' è che l' uom sì tosto more,
Quando ha la sua virtute al cor presente?
Queste contrarie tempre in me pur sento,
Che mi raffredda il fuoco, accende il fiume,
Il Sole acciecca, e dà la morte vita.
Ma di saper il modo indarno io tento,
Perchè non può mortal terreno lume
Dell' opre tue scuoprir l' Arte infinita.

18 Q. Quid est Sustentatio?

R. Sustentatio est cum orator ad excitandos, erigendosque auditorum animos illos tenet aliquandiu suspensos, incertosque quid dicturus sit. Ita Cicero in Verrem: *Etiam nunc mihi expectare videmini, judices, quid deinde factum sit..... expectate facinus quam vultis improbum, vincam tamen expectationem vestram.*

Habes quoque luculentissimum exemplum in Areosto:

Chi mi darà la voce, e le parole.
Convenienti a sì nobil soggetto?
Chi l' ali al verso presterà che vole
Tanto che arrivi all' alto mio concetto?
Molto maggior di quel furor che suole
Ben or convien, che mi riscaldi il petto;
Che questa parte al mio Signor si debbe
Che canta gli Avi onde l' origin ebbe.

19. Q. Quid sunt Communicatio, et Correctio?

R. Communicatio est cum Orator causæ suæ confidens, deliberat cum iis apud quos, vel contra quos loquitur, illos consulens, quid sit acturus.

Quare Salvinus pene Ciceronem ad verbum secutus ita judices consulit: *A voi stessi, o sapientissimi giudici, chiedo consiglio, cosa stimate, che io debba fare, e tale certo lo mi darete, qual si è quel che io stesso intendo di dover prendere necessariamente*.

Correctio denique, ait Cicero est ea, quæ tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit. Hinc Virgilius:

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos:
Quid loquor? aut ubi sum? quæ mentem insania mutat?

20. Q. Gradum fac ad figuras verborum?

R. Figurarum, quæ sunt in verbis, duo sunt genera. Aliæ enim sunt Tropi, seu verba translata; aliæ vero non sunt Tropi, sed fiunt verbis propriis. Quod attinet ad primas, Tropus definitur a Quintiliano, ut sit *verbi, vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* Si dicas verbi gratia. *Parietes ipsi illustri auditorum frequentiæ gratias agere gestiunt;* verbum hoc *gestiunt,* quod proprium est animantium, ad parietes quadam dignitate transfertur. Hæc porro translatio fit quatuor potissimum modis, ex quibus existunt quatuor tropi omnium nobilissimi, quales sunt: Metaphora, Metonymia, Sinecdoche, atque Ironia.

21. Q. Quid est Metaphora?

R. Metaphora, seu translatio, inquit Tullius, est cum verbum in quandam rem transfertur ex alia, quod propter similitudinem recte videtur posse transferri. Metaphorarum fontes pene innumeri sunt, cum ab universa rerum natura possint hauriri Metaphoræ: quatuor tamen præcipui a Quintiliano recensentur. Primus est cum a re quapiam animata ad rem aliam animatam verbum transfertur, ut si dicas cum Livio: *Scipionem solitum fuisse allatrari.* Alter est cum inanima pro aliis inanimis ponuntur, ut cecinit Petrarca.

Tornan d' argento i ruscelletti, e i fiumi.

Tertius cum inanima transferuntur ad animata, quomodo est apud Catullum :

O qui flosculus es juventulorum.

Quartus denique est cum rebus inanimis, sensuque carentibus quemdam sensnm , et quasi vitam tribuimus , in quo quidem inest magna venustas : hinc Petrarca :

Ridon or per le pioggie erbette , e fiori.

Quædam vero sunt vitia in metaphora vitanda ; et sunt: si a rebus sordidis , aut abjectis sumantur metaphoræ; si sint duriores, aut longius accertitæ, aut nimis amplæ , si minus poëtiæ, si nimis coacervatæ, si denique ab initio usque ad finem sibi non constent.

22. Q. Quid est Allegoria ?

R. Allegoria est Metaphorarum continuatio, seu, figura , qua aliud verbis dicitur , aliud re ipsa intelligitur. Talis est apud Horatium elegantissima illa Allegoria de bello civili , lib. 1. Ode XII. ad Rempublicam :

O navis , referent in mare te novi
Fluctus ! O quid agis ? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides ut
Nudum remigio latus ,
Et malus celeri saucius Africo ,
Antennæque gemant , ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor ? Non tibi sunt integra lintea ,
Non di quos iterum pressa voces malo :
Quamvis Pontica pinus ,
Silvæ filia nobilis ,
Iactes et genus et nomen inutile.
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu , nisi ventis
Debes ludibrium , cave.
Nuper sollicitnm quæ mihi tædium ,
Nunc desiderium , curaque non levis ,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

23. Q. Quid sunt Metonymia, et Synecdoche?

R. Metonymia, si originem verbi consideres nihil est aliud, nisi nominis mutatio, quæ fit quatuor potissimum modis.

Primo cum sumitur causa pro effectu, seu inventor, pro re inventa, ut *Cicero*, pro ejus scriptis, Mars, pro bello. Secundo fit cum vice versa sumuntur effecta pro causis, ut scelera pro sceleratis. Tertio cum res, quæ continet usurpatur pro re contenta, ut Urbs, pro ejus civibus. Quarto denique cum ponitur signum prore significata, ut toga, pro pace, fasces, pro magistratu.

Synecdoche, quæ a Latinis vocatur intellectio, est cum res tota de parte intelligitur, ut navis, de puppi; aut de toto pars, ut ramus de sylva, aquæ poculum de flumine: aut ex materia res confecta intelligitur, ut gladius ex ferro; aut denique cognoscitur genus ex specie, ut quodcumque mare ex mari Carpathio, seu vicissim species ex genere, ut aquila ex alite.

24. Q. Quid est Ironia?

R. Ironia est figura, qua aliud dicimus, quam verba ipsa significare videntur, ut si dicas: *O præclarum ovium custodem lupum!* Quod si fiat cum amarulenta quadam irrisione, tunc vocatur Sarcasmus: hinc Turnus apud Virgilium Trojano cuidam a se interfecto acerbe insultat:

En agros, et quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens, hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.

Audi quoque Torquatum Tassum:

Vieni in disparte pur tu, che Omicida
Se' de' Giganti solo, e degli Eroi:
L' uccisor delle femmine ti sfida.

(Unde infertur indignum Christianis facere Sarcasmum.)

25. Q. Quid habes dicendum de figuris verborum, quæ non sunt Tropi?

R. Hujusmodi figuræ fiunt tribus modis, scilicet per adjectionem, per detractionem, et per similitudinem. Per adjectionem fit repetitio, cum ab eo-

dem vocabulo sæpius inchoatur oratio: itaque Dantes:

Per me si va nella città dolente,
Per me si va nell' eterno dolore,
Per me si va nella perduta gente.

Fit etiam conversio, et fit cum e contrario sæpius clauditur oratio eodem vocabulo: audi Tullium, qui repetitionis simul et repetitionem complectitur. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus.* Per adjectionem similiter fit gradatio, figura, qua per quosdam quasi gradus, vel ascenditur ad summum, vel descenditur ad infimum. Quam pulcre Torquatus Tassus hac figura vulnerandi vim expressit:

Non cade il ferro mai, che appien non colga,
Nè coglie appien, che piaga anche non faccia,
Nè piaga fa, che l' alma altrui non tolga.

Per detractionem autem fit Reticentia cum verbum aliquod subauditur; adjunctio, cum uni verbo plura nomina substantiva respondent. Disjunctio, cum tolluntur conjunctiones, ut incitatior feratur oratio. Postremo per similitudinem fit Paranomasia, qua voces pene similes colludentes usurpantur in sensu dissimili: lepidissimum est Disticon Martialis:

Litigat, et podagra Diodorus, Flacce, laborat;
Sed nil Patrono porrigit, hæc Chiragra est.

Hactenus de figuris.

Appendix de Transitione.

26. Q. Quid est Transitio?

R. Transitio, quam alii figuram esse volunt, alii cum Fabio negant, est orationis quidam nexus, quo fit, ut apte copulata inter se illius membra conciune cohæreant, et unum quasi corpus efficiant.

27. Q. Quot sunt Transitionis genera?

R. Duo: Transitio enim vel est perfecta, vel imperfecta. Transitio perfecta est, qua monemus bre-

viter quid dictum sit, et quid dicendum restet: cujusmodi est ista pro lege Manilia: *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Transitio imperfecta est ea, qua alterum tantum eorum exprimitur, ut in hoc Ciceronis pro Roscio:

Agenunc illa videamus, judices, quæ consecuta sunt.

De Periodo.

28. Q. Quid est Periodus, et quænam ejus partes?
R. Periodus est sententia brevis, et absoluta, quæ certis partibus a se invicem pendentibus, et quodam quasi vinculo connexis numerose comprehenditur. Ejus partes aliæ sunt majores, quæ vocantur *membra*, aliæ minores, quæ vocantur *incisa*, hac ratione, ut ex incisis membrum, ex membris autem Periodus existat. En tibi horum omnium exempla:

Ante quam de republica, P. C., dicam ea, (habes incisum) *quæ dicenda hoc tempore arbitror,* (duo incisa sunt, quæ efficiunt membrum, quod tamen sensum minime absolvit. Adde alterum hoc membrum, constans ex duobus incisis, et periodum habebis absolutam, atque perfectam.) *Exponam vobis breviter consilium et profectionis, et reversionis meæ.*

29. Q. Quot sunt Periodi genera?
R. Periodorum genera tria sunt: unum duorum, alterum trium, tertium quatuor membrorum. Affero statim sua cujusque exempla. Audi periodum bimembrem ex Cicerone:

Ergo et mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem, Cai Cæsar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti.

Accipe periodum trimembrem ex eodem fonte:

Nam cum ante per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; statueremque nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum

industria afferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.

Ecce denique periodum quadrimembrem ejusdem Ciceronis:

Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque judiciis impudentia valeret, non minus in causa cedere Aulus Cæcina Sexti Æbutii impudentiæ, quantum in vi facienda cessit audaciæ.

30. Q. Quas regulas affers contexendæ Periodi?

R. Tria observanda; unum quoad ordinem, alterum quoad numerum, tertium quoad vitia Periodi. Quoad ordinem videndum est ut membra Periodi quibusdam quasi nexibus inter se quam aptissime cohæreant; nexus autem hujusmodi conficiuntur per particulas, quas vocant copulativas, quales sunt: *etsi, tamen, quemadmodum, ita, non modo, sed etiam,* et aliæ hujusmodi; videndum præterea est ut sensus non sit, nisi in omnium membrorum fine perfectus, et ut pleniore verborum ambitu, et circulo periodus concludatur. Quoad numerum hujus nomine intelligitur armonia, quædam nec exquisita, nec canora, qualis est in poematibus, et canticis, sed ita dissimulata, latensque, ut tamen sentiatur, et aures mirifica quadam voluptate permulceat. Numerosa porro fiet Periodus, si sillabas breves, ac longas simul miscere studeamus, si magnificis, et bene sonantibus verbis cum in ipsius Periodi quasi contextu, tum præsertim in clausulis utamur, si asperiorem vitemus litterarum, et vocabulorum concursum; si denique propriam latini, atque itali sermonis constructionem adhibeamus.

Tandem quod spectat ad vitia Periodi cave, ne, ut numero servias, in alia verba, atque inepta ornamenta congeras, aut in numerum metricum incidas, aut orationis vim, impetumque retardes.

De Stylo ratione qualitatis.

31. Q. Quid est Stylus, et quænam ejus genera?

R. Stylus fuit antiquitus instrumentum quoddam ad scribendum in tabulis ceratis: hinc hodie sumi-

tur pro ipsa scriptione, seu pro scriptionis, et dictionis conformatione.

32. Q. Quotuplex est Stylus?

R. Stylus est triplex, sublimis, mediocris, et infimus.

33. Q. Quinam est Stylus sublimis?

R. Sublimis est ille, qui constat verbis splendidis, magnificisque sententiis, quique sua nobilitate rapit extra se audientium animos, et admirationem etiam ab invitis extorquet, qualis est illud morientis Didonis:

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos.

Illud etiam quod audacter elocutus est hostis Alexandri apud Metastasium:

. . . *Nacqui sul Gange,*
Vissi fra l' armi,
Asbite ho nome:
Ancor non so che sia timor,
Più della vita amar la gloria
È mio costume antico:
Son di Pirro seguace, e tuo nemico.

34. Q. Quinam est Stylus mediocris?

R. Stylus mediocris *est stylus quidam interjectus, intermedius, et quasi temperatus, nec acumine inferioris, nec fulmine utens superioris, vicinus amborum in neutro excellens, utriusque particeps*: ita a Tullio definitur. Absolutum hujusce styli mediocris exemplum habes in Virgilii Georgicis.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros:
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis;
Sive inde occultas vires, et pabula terræ
Pinguia concipiunt: sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis umor:
Seu plures calor ille vias, et cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas,
Seu durat magis, et venas astringit hiantes,
Nec tenues pluviæ, rapidique potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

35. Q. Quinam est Stylus infimus?

R. Stylus infimus est ille, qui familiarem urbanorum hominum sermonem imitatur, et in rebus tenuioribus: cujusmodi sunt Epistolæ, Dialogi, Præcepta, quæ solent usurpari. In hoc stylo eminere debent perspicuitas, nitor, atque munditia. Egregium styli hujus habet Virgilius in Eclogis:

Urbem, quam dicunt Romam Mœlihœe, putavi,
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Norant: sic parvis componere magna solebam.

36. Q. Quomodo adhiberi possunt hæc tria styli genera?

R. Cum tria sunt Oratoris officia, quemadmodum dictum est, scilicet, docere, delectare, et movere, generatim, et universe utimur stylo infimo ad docendum, mediocri ad delectandum, sublimi vero ad movendum. Potissimum autem stylus infimus convenit Comediis, Bucolicis, Eclogis: mediocris convenit Historiæ, et Georgicis. Sublimis convenit tragediis, atque Epico Poemati. Quamquam sæpe accidit, ut hæc omnia styli genera misceantur in eodem poemate, aut sermone; illud enim debet scriptor præ animo habere, quod docet Tullius, nempe ut *magna, graviter, mediocria, temperate, humilia subtiliter efferat.*

37. Q. Quæ præcipue in stylo vitanda?

R. Quatuor præcipue vitanda sunt: primo ne stylus sit tumidus, et inflatus; secundo ne puerilis, ac frigidus: tertio ne fluctuans, et dissolutus, quarto ne siccus, et exanguis. Stylus tumidus vocatur ille, qui justos sublimitatis limites excedit; cujusmodi sunt inepti versiculi, quos modo recitabo:

Torva mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyngem Mœnas flexura Corymbis
Evion ingeminat, reparabilis adsonat Echo.

Stylus frigidus, atque puerilis ille est, qui puerilia quædam ornamenta, frigidos lepores, ineptas illusiones, affectatas, ac luxuriantes descriptiones,

frivolaque hujusmodi crepundia putidius auccupatur: cujus generis sunt istæ sententiæ :
Centaurus se ipsum equitans; *auro magis aurea;* et similes.

Stylus fluctuans, et dissolutus est ille, qui sine articulis, sine numero, sine arte fluctuat huc, illuc, neque sibi ullo pacto cohæret. Postremo siccus, et exanguis ille est, qui nihil ferme habet vigoris, nihil ornamenti.

De Stylo ratione quantitatis.

38. Q. Quid est Stylus Laconicus?
R. Est stylus argutus, perbrevis, et acutus, quo multa paucis dicuntur.

39. Q. Unde traxit suum nomen stylus Laconicus?
R. A Laconibus, qui etiam Spartani dicebantur, ac Lacedæmonii, quibus stylus ille erat in deliciis, et quibus prolixa loquacitate nihil erat odiosius.

40. Q. Profer aliquod exemplum?
R. Præsto est: Cæsar in laureatis suis ad Senatus litteris, victo Pharnace Ponti Rege, Mithridatis filio mirifice expressit illam laconicam breviloquentiam: *veni*, *vidi*, *vici*.

41. Q. Quid est Stylus Asiaticus?
R. Ille est, qui fusiori quodam orationis ambitu circumscribitur, multisque verbis pauca dicit.

42. Q. Unde nomen traxit hujusce stylus?
R. Nomen traxit ab Asiæ populis, qui diffusiorem illum stylum habebant in deliciis.

Illius exemplum quotidie vides in verbosis illis hominibus, qui tam multis tam panca dicunt. Hunc porro stylum Asiaticum tu fugies, si sapis. Quid enim tam insulsum est, quam verborum vel optimorum sonitus inanis nulla subjecta sententia?

Finis Elocutionis.

LIBER QUARTUS

De Pronunciatione.

1. Q. Quid est Pronunciatio?
R. Pronunciatio est quarta Rhetorices pars, quæ docet quomodo exornata pronunciemus: sive est vocis, gestuumque, pro rerum, verborumque varietate, apta conformatio: a Tullio appellatur: *Corporis sermo, corporis eloquentia quædam.*

CAPUT UNICUM

Variæ bene pronunciandi regulæ.

2. Q. Quid requiritur ad recte pronunciandum?
R. Ad recte pronunciandum requiritur memoria, vox, et gestus.

§. I.

De Memoria.

3. Q. Quid est Memoria?
R. Memoria est *firma rerum, ac verborum recordatio:* ita Tullius.

4. Q. Quotuplex est Memoria?
R. Memoria alia est naturalis, artificialis alia: naturalis habetur ab ipsa natura, artificialis comparatur artis vi, atque auxilio.

§. II.

De Voce.

5. Q. Quænam sunt vocis leges?
R. Circa vocem leges sunt: 1. ut dilucide, et articulatim pronuncies; 2. ut pro argumenti, motuumque varietate, et pro variis orationis partibus vox varietur. Hinc cave a monotonia, et cantu: 3. ut pro loci amplitudine, et auditorum multitudine vocem intendas, vel remittas.

§. III.

De Gestu.

6. Q. Quid est Gestus?
R. *Gestus est totius corporis motus et conformatio:* sic definitur a Quintiliano.
7. Q. Quid observandum est circa gestum?
R. Circa gestum observandum est: 1. ut nihil sit in eo effœminatum, et molle: 2. nihil sit durum, et agreste: 3. corpus sit celsum: 4. ne agitetur motibus incompositis: 5. ne frequentius caput ajactes: 6. pro rerum natura vultum indues modo hilarem, modo mœstum, modo blandum, modo minacem: 7. brachia ne pendeant incomposita, nec projiciantur immodice: 8. manus actionem sequatur: sed sola sinistra gestum non faciat: 9. digitorum ne nimiæ sint argutiæ.

MONITUM

Hæc sunt artis Rhetoricæ Rudimenta. Ista tamen sola non sufficiunt ad efformandum idoneum oratorem omnibus numeris absolutum. Oportet idcirco omnino, ut Orator, qui bene velit suo munere fungi, apud se aliquam hujus artis completam Institutionem habeat, perlegatque, ex qua multa alia scienda, et modum etiam addiscat, quo se gerere debeat in soluta, et perpolita oratione perficienda.

Ad hoc summopere utile est opus illud aureum M. T. Ciceronis de Oratore, cujus sunt libri tres.

FINIS.